



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum falsitas sit in sensu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

finis rei, vel id propter quod ad finem devenitur, & hac perfectione interdum res desinitur. Ex prima autem perfectione resultat ratio veri in rebus, ex hoc enim quod res formam habet, attem divini intellectus imitatur, & sui notitiam in anima gignit: sed ex parte secunda consequitur in ipsa ratio bonitatis, quæ consurgit ex fine, & ideo malum simpliciter invenitur in rebus, non autem falsum.

Ad quartum dicendum, secundum Philosophum in Ethicis primum verum est bonum intellectus, secundum hoc non intellectus operatio est perfecta, quæ sua conceptio est vera, & quia enunciatio est signam intellectus, ideo veritas est eius finis, non autem est ita in rebus alijs, & propter hoc non est simile.

ARTICVLVS XI.  
Vtrum falsitas sit in sensu.

Vnde primo queritur, vtrum falsitas sit in sensu. Et vtrum non. Intellectus enim semper est rectus, ut dicitur in 3. de Anima: sed intellectus est superior pars in homine, ergo & alie partes hominis rectitudinē sequuntur, sicut & in mundo maiori inferiora disponuntur secundum superiorum motum, ergo & sensus, qui est inferior pars animæ, semper est rectus, non ergo in eo erit falsitas.

¶ 2 Præter Augustinus dicit in lib. de vera religione, Ipsi oculi non fallunt nos, non enim enuntiare possunt omnino nisi affectionem suam: quod si omnes eorum sensus ita enuntiant vt afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro. ergo in sensibus non est falsitas.

¶ 3 Præter Anselmum in lib. de Veritate dicit, Videtur mihi veritas vel falsitas in sensu non esse, sed in opinione, & sic habetur propositum.

SED CONTRA, est quod Anselmum dicit, quidem in sensibus nostris veritas, non simpliciter, nam fallunt res aliquando.

¶ 2 Præter Secundum Augustinum in lib. Solilo. falsum solet dici quod a verisimilitudine longe abest, sed tamen ad verum nonnullam imitationem habet: sed sensus habet quandam similitudinem quarundam rerum, quæ non sunt ita in rerum natura, sicut est quandoque quod vnum deo videatur, vt cum oculis comprimitur, ergo in sensu est falsitas. Sed dicebatur, quod sensus non decipitur in proprijs sensibilibus, sed de communibus.

¶ 3 Sed contra, Quando cumque aliquid apprehenditur de aliquo aliter quam est, apprehensio est falsa: sed quando corpus album videtur mediante vitro viridi, sensus apprehendit aliter quam sit, quia apprehendit illud vt viride, & ita iudicat, nisi superior iudicium addit, per quod falsitas detegatur, ergo sensus decipitur etiam in proprijs sensibilibus.

RESPOND. dicendum, quod cognitio nostra quæ a rebus initiū sumit hoc ordine progreditur, vt primo incipiat in sensu, secundo perficitur in intellectu, vt sic sensus inueniatur quodammodo medius inter intellectum & res, est enim rebus comparatus, quasi intellectus, & intellectui comparatus quasi res quædam: & ideo in sensu dicitur esse veritas, vel falsitas dupliciter. Vno modo, secundum ordinem sensus ad intellectum, & sic dicitur esse sensus falsus, vel verus sicut res, in quantum videlicet, faciunt veram existimationem in intellectu vel falsam. Alio modo, secundum ordinem sensus ad res: & sic dicitur esse veritas, vel falsitas in sensu, sicut & in intellectu, in quantum iudicat scilicet esse quod est, vel non esse quod non est. Si ergo loquamur de sensu secundum primum modum, sic in sensu quo-

dammodo est falsitas & quodammodo non est falsitas: sensus enim est res quædam in se, & est indicativus alterius rei. si ergo comparatur ad intellectum prout est res quædam, sic nullo modo est falsitas in sensu intellectui comparatus quia secundum sensus dispositionem, in hoc dispositione suam intellectui demonstrat, unde Augustinus dicit in auctoritate inducenda, quod non possunt omnino enuntiare, nisi affectionem suam. Si autem comparatur ad intellectum secundum quod est representativum alterius rei, cum quandoque representet ei aliter rem quam sit, in hoc sensus falsus dicitur, in quantum natus est facere falsam existimationem in intellectu, quamvis non necessario faciat, sicut & de rebus dictum est, quia intellectus sicut iudicat de rebus, ita & de his quæ a sensibus offeruntur.

Sic ergo sensus intellectui comparatus semper facit veram existimationem in intellectu de dispositione propria, sed non de dispositione rerum. Si autem consideretur sensus secundum quod comparatur ad res, tunc in sensu est falsitas & veritas per modum, quod est in intellectu. In intellectu autem primo & principaliter invenitur falsitas & veritas in iudicio componentis & diuidentis, sed in formatione quidditatum non, nisi per ordinem ad iudicium, quod ex formatione prædicta consequitur, unde & in sensu proprie veritas & falsitas dicitur secundum hoc quod iudicat de sensibilibus, sed secundum hoc quod sensibile apprehendit, non est ibi veritas & falsitas proprie, sed solum secundum ordinem ad iudicium, quod ex formatione prædicta consequitur, prout scilicet ex apprehensione tali naturæ est sequi tale iudicium. Sensus autem iudicium de quibusdam est naturale, sicut de proprijs sensibilibus, de quibusdam autem quasi per quandam colationem, quam facit in homine vis cogitativa, quæ est potentia sensitivæ partis, loco etiam in alijs animalibus est existimatio naturalis, & sic iudicat vis sensitiva de sensibilibus communibus & de sensibilibus per accidens, naturalis autem actus alienius rei semper est vno modo, nisi per accidens impediatur, vel propter defectum intrinsecum, vel extrinsecum impedimentum: unde sensus iudicium de sensibilibus proprijs, semper est verum, nisi sit impedimentum in organo vel in medio, sed in sensibilibus communibus & per accidens interdum iudicium sensus fallitur. Et sic patet qualiter in iudicio sensus potest esse falsitas. Sed circa apprehensionem sensus sciendum est, quod est quædam vis apprehensiva, quæ apprehendit speciem sensibilem sensibili re præsentem, sicut sensus proprius: quædam vero apprehendit eam re absente, sicut imaginatio, & ideo sensus semper apprehendit rem vt est, nisi sit impedimentum in organo, vel in medio, sed imaginatio apprehendit, vt plurimum, rem vt non est, quia apprehendit eam vt præsentem, cum sit absens, & ideo dicit Philosophus in

4. Metaph. quod sensus non est dominus falsitatis, sed phantasia.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod in maiori modo superiora nihil accipiunt ab inferioribus, sed e converso: sed in homine intellectus qui est superior aliquid accipit a sensu, & ideo non est simile. Ad alia patet de facili solutio ex dictis.

ARTICVLVS XII.  
Vtrum in intellectu sit falsitas.

Vnde primo queritur, vtrum falsitas sit in intellectu. Et vtrum non, quia intellectus habet duas operationes, scilicet vnâ qua format quidditates, in qua non est falsum, vt Philosophus dicit in 3. de Anima, aliam qua

In arg. 2. huius quæst.

In arg. 2. huius quæst.

In arg. 2. huius quæst.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.

In istom articulo.